

inter Sueviæ quidam Dux vehementer invectus in Arensbergensem; nihilque acerbius crimini datum, quàm quòd Godefridum Cappenbergensem indignè tractasset. Nam adeo Nortbertum & Godefridum afflixerat, ut apertis castri portis, tanquam oves ad lanienam secum religiosis viris offerrent. At Cæsaris & Principum objurgationibus ita mitigatus est, ut postquam Arensbergam reversus, Godefridum invitârit, & amicè exceptum circumduxerit per arcem, multa que supra vota pollicitus sit; at cùm Godefridus vinctos, quos tenebat, relaxari primùm peteret, elusit postulata: post ubi ad prandium accessit, & lautæ accubuit mensæ, rupto ventris thorace crepuit, & cum visceribus simul effudit animam. Hæc justa vindicis Dei pœna consecuta hominem, qui tot spolijs sacrorum non poterat explere avaritiam. Gobelini nostri hoc de illo testimonium est. *Fridericus Comes Westfaliae de Arensberg, homo ferocissimus, hoc anno moritur, qui castrum Wevelsburg antiquitus ab Flunnis constructum, ac vetustate collapsum uno ante obitum anno restauravit, ex quo totam viciniam incursionibus et prædis vexare non destitit: Id castrum cùm intra diœcesin Paderbornensem sit, prope Bodecense Cœnobium à D. Menolpho conditum, gravis quoque Henrico Episcopo & diœcesi Paderbornensi incubuit. Auctor est Gelenius Nortbertum haud ita pridem captum à Friderico Arensbergensi Comite in hoc castro Wevelesburgensi inclusum fuisse; quod priori anno factum fuisse oportuit. Filias ex conjugè, quam Ottone Northemensis Bojariæ Duce genitam diximus, reliquit Arensbergensis duas Juditham Godefridi, ut diximus conjugem: & Sophiam, quæ denupta fertur Bernardo Comiti Lippiensi. Filium præterea unicum Conradum, à quo familia propagata ad Godefridum, postremum stirpis heredem. Is ille est, qui anno 1368 Comitatum Arensbergensem vendidit Cunoni Coloniensi Administratori; cessitque tota hereditas in patrimonium Coloniensis Ecclesiæ; quemadmodum Wevelsburgum transijt à Buranis Dynastis ad Paderbornenses Episcopos.*

Subitaneâ mensæ accumbens morte extinguitur. Gobelini. a. 1. c. 58. Ferdinand. in monument. Paderb.

Gelen. in Engelb. lib. 3. c. 42.

Haud leve interim periculum Imperator Trajecti subijt. Quippe levi ex causa lis orta inter Cæsaris aulicos & Godebaldi Episcopi Ministeriales utrosque pugnis & armis collisit; intraque Monasterium Episcopi alij capti, alij trucidati, Cœco, ut fit, crescente tumultu, tota civitas convolvavit ad arma; interque cohortium pugnas Episcopus captus, & in custodiam abreptus. Quanquam seditionis auctor post cognitus, Giselbertus quidam, Episcopo infestus, capitalis pœnæ sententiam subierit. Ursbergensis qui Episcopum reum facit, refert Friderici Coloniensis Episcopi patrocinio Godebaldum libertati redditum.

Seditio Trajecta exorta.

Visa per id tempus in agro Wormatiensi equitum militumq; spectra pleno die spectabili omnibus forma ire & redire velut ad

Frequentia circa Worma-

Uuuu 2

conven-